

SYLVA.

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRAN
dulæ Domini &c. Votum pro salute
coniugis.

Non adeo arentis confidens vertice fagi,
Amiffos queritur viduatus turtur amores;
Non adeo Alcyone deserti in littoris alga

Ingemit, ut mecum possit certare querelis,
Sic animum pressit prope iam morientis imago
Coniugis, atq; vago sic mens agitata tumultu,
Ut longis nimium vexata ambagibus, ægre
Ad semet rediens votum immortale sacrarit;

Nam primum turbata nimis, nam victa dolore,
Sæpius has imo deprompsit pectore voces,
Tu sine me, sine me, sine me mea vita supernos
Inuises cœtus, sine me per lucida templa
Empyreasq; domos, sine me mea vita vagaris?
Quid dixi? stabili & tranquilla sede quiesces
Irrisura vagos mortalia facta tumultus.

O mihi si liceat pendentem abrumpere vitam,
Te subito coniunx celeri per inania saltu,
Te sequerer coniunx liquidam sublatus in æthram,
Nam neq; te eriperent horrenda pericula ponti,
Nec mihi te eriperent terræ discrimina coniunx
Non te Scylla ferox, non quæ de gutture fluctus
Absumptos reuomit, non tristibus inuia nautis
Syrtyis, non viuæ refugo Symplegades ictu,
Te sequerer coniunx, aut te de gurgite vasto
Eriperem, vasto aut tecum absorberer hiatu,
Siue ad Vlysseis vix nuper cognita nautis
Aequora transires, furia tus nauita puppim
Conscendens, socijs dare ventis vela iuberem,
Iratum findens abiegno stipite marmor.

Quod si Cerneæ longinqua ad littora terræ
Pergere tentasses, rapido per inhospita cursu
Te sequerer, lento virgo priuernia cursu
Iret, & Oenomai lenti de carcere curus,
Et testudineo Pisæa ad flumina gressu
Tendere cornipedes censeret græca iuuentus,
Per medias acies, rabidæq; per ora Chimæaræ,
Per thauros patulis efflantes naribus ignes,
Et per auernales (si fas est dicere) lucos

Fictio tumultuâ
ris & abalienati
animi.

Nota qd ita iratū
marmor dicitur sicut
vndosum equor
apud Vergiliū in
iij. Aeneidos.

SYLVA

Cautior Odryſio multumq; ardentior Orpheo
 Te ſequerer coniunx, ſequerer dulciſſima coniunx,
 Quid facerem? dicar fortalſe vxorius, eſto.
 Quid facerem inſcelix? in te mea vita repoſta,
 Vota mea, ex illo cum magno impulſus amore
 Parthenopam acceſſi, cum ſancto fœdere dextram
 Coniunxi dextræ, & magna ſtipante caterua,
 Etrate regali Baiarum in littore ſidi,
 Vt mox ad Ligures Tyrrenum veſta per æquor,
 Inde Padum ſecus in patria ditione maneres,
 Et te conſtantis celebrarent mœnia Pici,
 Flauia quem dudum Eurydes prope fluminis oras

Mirandula
 vnde diſta.

Siclae conceptum viridanti fudit in vlua,
 Cum miro ex partu traxit Mirandula nomen.
 Mox ardor magis atq; magis creſcentibus annis
 Creuit, multiplici firmatus pignore amoris.
 Nam conſors fœcunda tori, ſidiſſima rerum
 Cuſtos, concilij prudens, vt vinceret ſexum
 Auſoniae annuerint ſpectato examine matres;
 Hinc & relligio, & grauitas rariffima quondam
 Fœmineo in cœtu, ſimplexq; modeſtia, ſimplex
 Cultus, & eloquium conſtans, & gratia formæ,
 Gratia compagis membrorum, gratia vultus,
 Et quæ librato radiabant lucida motu
 Lumina, ſydereis certantia lumina flammis
 Quod ſi multiplici tutabar mœnia bello,
 Hoſtilis cum me dura obſidione premebat
 Et patriam vrgebat varijs exercitus armis,
 Adſtabas comes vſq; & propugnacula crebris
 Tutata auxilijs, animo tutata virili.
 Quod ſi ſecuræ tranquilla per ocia vitæ
 Tractarem libros, noſtrę monumenta ſalutis,
 Adſtabas comes vſq; viro, comes vſq; fidelis.
 Siue hymnos canerem, quos iam mandare papyro
 Conſtitui, gaudens numeros plena aure bibebas.
 Seu plura adferrem numerorum lege ſoluta,
 Sedula tentabas ſenſus haurire repoſtos.
 Omnia iam tecum amittam ſimul, omnia tecum
 Lucunda extiterant, ſine te iniucunda futura.
 Num mihi firmari poſſent mea vota maligno
 Impete depulſo morbi? num pallida tabes?
 Num tetrīs pelli poterit mors improba ſuccis?

SYLVA

Gramine vel Glauco: vel prisca Paeonis arte
 Vel qua nutritus gemini Chironis in antro
 Pollebat morti illudens Messenius heros:
 Sed languor crescit, nostrosq; in pectore amaror
 Exundat, crebris singultibus ilia languent,
 Vbertim manant lachrymae, turbataq; fletu
 Mens labat, & madidum lacerant suspiria pectus.
 Ut non Ismariae volucris, neq; tristia moesta
 Praestari ad planctum cupiam lamenta fororis.
 At nimium mea damna querar, fletuq; supremo
 Effundam gemitus cycnei funeris instar.
 Saltem alijs possem lachrymas extrudere, & altum
 Indere moerorem, dignosq; Simonide luctus.

Dum mecum haec malefanus ago, consurgere visum
 Lumen, & explodi nugas, commentaq; vulgi,
 Depelliq; magos, cantataq; pharmaca vanae
 Artis, & eductos simulato gramine manes.
 Ac subito excita est mens consternata, reuulsam &
 Quod semel insedit misera in precordia ferrum,
 Mox paulum fotae fixa haec sententia menti.
 O miserum mortale genus, cui tristia rebus
 Succedunt laetis, & amaro perlita felle
 Pocula de calicis melliti margine manant.
 Quicquid enim praesens dulci oblectauit amore
 Amissum querimus, & amaro verba dolore
 Saucia mens fundit, renouatq; in pectore vulnus.
 Discite mortales fluxis non fidere rebus,
 Nec nutabundae semper, semperq; labanti
 Fidere fortunae, nam qui pereuntia firmis
 Praetulit, instabili momento nixus anhelos
 Pectore deposcit quod mox deploret adeptus.
 Aeterno praestat perituros perdere amores,
 Aeterno sine fine deo, sine fine fruendum est.

Motus euigilantis
 & semet expug-
 scentis tonis.

Tum subito immensus pereuntis imaginis ardor
 Perfrixit, superos mens desolata recessus
 Ingressa, ad solium supremi principis ingens
 Adstitit, & similes iterauit moesta querelas
 Supreme omnipotens, aeternae o conditor aui
 Regnator caeli & terrae, miserere precantis,
 Languentis miserere simul pater optime, morbum
 Depellens, sobolis pariter miserere pusillae.
 Ne matre amissa in tenebris gemebunda residens

Motus mentis lus-
 mine fidei ad sus-
 perna scendentis.

SYLVA

Inducias, media hic correpra ponit, nã quis alij aliter, putat autor q̄si ab inter & ducis posse cõ poni.

Continuos tenero fundat de pectore questus,
 Concede inducias chara pro coniuge nobis,
 Concede inducias, si nostrum vita caduca
 Pendet ab alterutro, patria componere terra
 Extinctum liceat corpus patrioq; sepulchro
 Condere, pollutus donec renouabitur orbis,
 Si merui pater in fontem ne percute, maior
 Splendeat in terris donato in crimine virtus.
 Altera lanx vergat, vincat clementia, vincat,
 Adstabat virgo genitrix suprema beati
 Cœtus, & orabat misero pro supplice natum,
 Adstabat multo radians Egnatius ostro,
 Fulgidaq; inscripti referens insignia cordis,
 Nec non Trinacriæ præses Drepaniq; refulgens
 Sydus, cui niueo substabat pendula amictu
 Succincta ad lumbos nitida ferrugine vestis,
 Tumq; dies aderat qua terris pauper olympo
 Diues in æternam conclusit lumina lucem
 Aëssius, quino redimitus vulnere corpus
 Ardore eximio, supremi principis instar.
 Atq; preces solito institerant geminare favore.
 Annuit omnipotens quo pellit crimina vultu,
 Annuit, & tenues morbus discessit in auras.
 Quattuor hinc tanto solvam pro munere vota,
 Nam cineri similis pannus languentia membra
 Obnubet, similicq; humeros velatus amictu
 Virginis ante domum gaudens, genibusq; reflexis
 Procumbam, atq; tholo ægrotę fulgebit imago,
 Virginis ante domum quæ dudum cœlitus acta
 Illyricas petijt sulcato marmore sylvas,
 Hinc fines Italos ingressa, Adriæq; tumentis
 Fluctus transmittens Picens adstitit aruis.
 Mox Drepani templum in patria consurget alumno,
 Et patriæ in templo victricia vulnera ponam
 Egnati, & fractos Traiani Cæsaris enses.

TELOS.

Voti sacratio:

Argentorati in libraria officina Mathiæ Schurerij
 Mense Augusto. Anno salutis.
 M. D. XI.

REGNANTE IMP. CAES. MAXI
 MILIANO PIO FOELICI
 A V G.